…anislaus
Episcopus Dionysiae

Bieżanowski Stanislai Jos: Rosae tiaratae
nova sacri honoris purpura rubentes.

ROSÆ TIARATÆ,

NOVA SACRI HONORIS PURPURA

RVBENTES,

AD CORONAMENTVM VIRTVTIS, & GLORIÆ,

ILLVSTRISSIMI, ET REVERENDISSIMI DOMINI,

D. STANISLAI

à SŁUPOW

SZEMBEK,

DEI, & Apostolicæ Sedis gratiâ,

EPISCOPI DIONYSIÆ,

SUFFRAGANEI, CANONICI, VICARII IN SPIRITUALIBUS, & OFFICIALIS GENERALIS CRACOVIENSIS;

dum

Varsauiæ, in Ecclesia Sanctimonialium à Visitatione B. M. V.

IN AVGVSTA MAIESTATVM REGIARVM,

Senatus Poloni, & Ordinum Regni præsentia,

A

CELSISSIMO, ET REVERENDISSIMO PRÆSVLE, AC PRINCIPE,

D. JOANNE

DE MAŁACHOWICE

MAŁACHOWSKI,

EPISCOPO CRACOVIENSI, DUCE SEVERIÆ,

ritu solenni in EPISCOPVM CONSECRARETVR;

debiti cultus, & gratulatorij applausus ergò,

PER

M. STANISLAVM IOSEPHVM BIEZANOWSKI Leopol.

In Alma Uniuersitate Cracouiensi,

Philosophiæ Doctorem, Collegam Minorem, Ordinarium Pöëseos Professorem,

in Orbis faciem

PRODVCTÆ.

Anno Salutis, 1690. Die 5. Mensis Martij.

CRACOVIÆ, Typis Vniversitatis.

In Gentilitium Inſigne, Illuſtriſſimi, & Rñdiſſimi NEOPRÆSULIS.



TErna coronati vernant inſignia floris,
Diſcurrunt geminæ cisq; Roſeta feræ.
Lætior hic vobis vndè eſt animalia ſaltus?
An florum capit hic, vos quoq; dulcis odor?
Indomitas traxiſſe feras, SZEMBECIA virtus
Si potuit, ternis dum micat illa ROSIS;
Quidni homines, Superosq; trahat? nec miror in illa,
Ad ſe quod Sacram, traxerit illa Mitram.

AD

Illustrissimum, & Rñdissimum Dñum,

D. STANISLAUM

à SLUPOW

SZEMBEK,

DEI, & Apostolicæ Sedis gratiâ,

EPISCOPVM DIONYSIÆ,

Suffraganeum, Canonicum, Vicarium in Spiritualibus, & Officialem Generalem Cracouiẽsem,

AVTHORIS PROPHASIS.

PVRPVRAM Tuam, in ROSIS gentilitiis, nouo Pontificali murice rubentem, etiam absq; oculis posse videri, vt intelligas; contemplatione interiori, & sola mentis pupilla à me visam, ecce eam amplissimo conspectui Tuo sisto. ILLVSTRISSIME, & REVERENDISSIME DOMINE. *Vulgare, & promiscuum est, conspici eam ab oculatis; sed pulcherrimum Tibi, & rebus humanis insolitum; quod spectatissima facta sit, etiam orbato lumine Vati; cui tamen splendidissimo nomine, & honore Tuo, totus oculus fuisti. Perspicacissima illa mentis Tuæ acies, quâ eximie nites, crystallus mihi fuerat; vt Te sub cortina magni animi Tui viderem, quamuis cortinâ velati luminis impeditus. & vidi, & erubui; quod de Rosarum Tuarum purpura, sine purpura loquor. Laborauit hac in re sincerissimus lætitiæ candor, sine colore, sine fuco; non enim meum est de coloribus iudicare. Tu iudicabis* NEOPRÆSVL DIGNISSIME, *& parces; si Te non iuxta mensuram gloriæ Tuæ comprehendi; si de ROSIS Tuis spinas locutus, me ipsum pupugi, cùm Te non adæquaui. Malui tamen puncturam meam, quam in adeò festiua omnium acclamatione, barbari silentij notam. Vrgebas me, Tu ipse enthusiasmus meus, eo spiritu; quo Vniuersitatem nostram diligis, ab eaq; diligeris, vt Filius à Matre;*

tre; quam omninò fecisti, inter sacros honores Tuos, Matrem filiorum lætantem. Gaudet illa, ROSAS Tuas gemmis Pontificalibus coronari; quarum suaueolentiam à teneris prima senserat, quarum innocentem venustatem sic excoluit; vt in pulchritudine animi Tui, & cultu sapientiæ; etiam Romana Sapientia haberet, quod coronaret. Responderunt vtriq; præcellentes animi Tui dotes, & honorum augmenta, vsq; ad Aras, & Tiaras; quibus dum assistis, & consecraris; Apollo noster, amusus omninò, & totus profanus fieret, nisi fieret Tibi, & honori Tuo sacer. Decora Tua, non capimus quidem pari calamo, quem excessisti; non ideò tamen excessus hic, venerationem nostram effugere debet; cui tantò gloriosius obsequium, quantò se profundiùs inclinat; & coram ijs, quæ non assequitur, maiori ingenuitate erubescit. Sufficiet gloriæ Tuæ, cùm effectum parem cogitantium de se vicerit, in sola scribentium voluntate stetisse. Prona hæc Tibi, & effusa est in omnes vberioris lætitiæ sensus, gestitq; gaudio publico; quod seculum nostrum, non tota adhuc ferri sui rubigine consumptum sit; cùm aureas mentes in pretio habeat; cùm selectissima capita in Domo DEI sic attollat, vt Tiaris coronet. Felicitatem istam temporum nostrorum, vt inscribimus fastis, ita & prosequimur gaudijs; præsertim in Tua ad Præsuleam dignitatem sublimatione, tota ex virtute, tota ex iustissima Tui æstimatione, citra mentem Tuam; sed ex mente omnium, qui Illustrissimæ FASCIÆ MAŁACHOVIANÆ *gratias debent; quod vota omnium nexu suo concluserit; cùmq; ipsa sit vinculum cordium, fecerit Te in ROSIS Tuis, coronam animorum. Has ergò ROSAS, noua sacri honoris purpurâ rubentes, Tuum Tibi munus offero; & inter Solennia Consecrationis Tuæ, magnitudini, & immortalitati Nominis Tui consecro. Votaq; pro Te DEO Scrutatori cordium, qui Te sibi elegit, supplex nuncupo; vt Te, nobis ad Pontificalia munera adimplenda cælitùs datum, longæuum esse velit, gratiis cælestibus augeat; & iuxta natiuum Sanguinis Tui Rosei genium, iubeat esse florentem; vt coronamento virtutis, & gloriæ Tuæ decorus, diù specteris, & ameris, Præsulea flos lectissimus in Tiara.*

ROSÆ

ROSÆ TIARATÆ,

NOVA SACRI HONORIS PURPURA RUBENTES.

Sarmaticas hyemes, si quæ Floralia cæli
Prodigio vicêre nouo, feliciùs vnquam;
Erubuitq; suas Aquilo, flammante rosarum
Incaluisse niues ostro; dum floret ad Arcton
Hybla pruinosis, ludens innoxia campis:
Purpura nunc visenda solo, quo murice canam
Vestiat aruorum faciem, Diuûmq; coronet
Vndiq; puniceis cingens altaria sertis,
Ipse sui Victor Septemtrio judicet Orbis,
Insolitas miratus opes. en sæua Bootem
Bruma fugit; Præneste suum, Tiburq; Polonum
Pandit Hyperboreæ species pulcherrima terræ.
Quis decor hic? quæ grando calens? quæ fœta procellis
Tempestas roseis. nùm rursùs ab ordine rerum,
Nascentis mundi redijt formosa juuentus?
In teneris rubuitq; genis, flos ille pudicus?
Innocuas animas qui primo tinxerat ostro.
Nùm Iouis insternit cunabula? totq; Deorum
Fasciolas inter gemmis, auroq; nitentes,
Lilia mista rosis iterùm Berecynthia Mater
Spargit odoratis manibus? dic conscia rerum,
Tu quia Diuinum genus es, sanguisq; vetustus
Fatidicæ Clio stirpis, Princepsq; nouenni
Thespiadûm cœtus; cælestia flamina si Te
Spirantes animiant fibræ; Tu veris amœnas
In medijs niuibus gazas, & dulcia Tempe

Fac Orbis Lechicus nôrit, capiatq; ſeipſum;
Dum ſe vix natura capit, mutatq; rigorem
Tota rubens, totam quando riguiſſe decebat.
Diuus honos, auguſtus honos, celſiſſimus ille
Arbiter emeritæ virtutis, Lydius ille
Exactusq; lapis; quo de meliore metallo
Formatæ mentes, ſelectaq; corda probantur;
Ille coronarum trabeatus Cenſor, & Argus,
Totaq; majeſtas Soliorum, purpura tota;

Tiarati honoris, ex obitu. Nicolai Oborſcii, gemitus & dolor.

Gemmatas capitis cûi ſubmiſêre Tiaras,
Præſuleæ Diuina licet faſtigia vittæ,
Vauelea ſub rupe gemens, dum Lilia rapta,
Quærit OBORSCIACæ nimiùm dilecta COLVMNæ,
Incuſatq; trucem Lacheſim; cultiſſimus Orbi,
Quod per eam cecidit, Cleri flos, gemmaq; florum,
Mentis ebur niueæ, cæliq; ſoliq; voluptas;
Eumenidûm contra rabiem, falcesq; doloſas
Eſt mihi Numen ait; Vindex mihi dextera præſtò,
Quâ vincam furiale malum. ſi lilia terris
Eripuit, ſacrasq; niues, & candida magnæ
Pignora Virtutis; ſed pulchriùs illa niteſcunt
Transplantata polo. ſed non cecidêre roſarum
Vitales Orbi plantæ, Reginaque florum
Vernat adhùc terris, & purpura Præſule digna.
Hinc mihi ſolamen, roſeis de floribus indè
Liligeras ſupplebo vices; rurſùmque decoram
Cinget honoratis Dionyſia Sponſa corymbis,

Celſiſſimus Præſul, & Princeps, Ioannes Małachowſki, Epiſc: Craco. Dux Seueriæ Stanislaum à Słupow Szembek, Suffraganeum ſuum nominat,

Ornabitq; ſacra gemmarum grandine frontem.
Macte animo Præſul MAŁACHOVI, fac age, quod jam
Magna mente Tua, cælo dictante reuoluis;
Poſce Roſam, decerpe Roſam, dudùmq; probatum
Sanguinis, atq; Tui cordis jam delige florem;
Qui Tibi purpureo nexu, noua ſecla coronet,
Orbataſque mitras, & lilia cana rependat,

Ecce

Ecce ſinu roſeo fouet hunc lectiſſima virtus,
Gratia circumſtat, vox publica poſcit, & ambit,
Deſignant animis omnes, plauſuque ſequuntur;
Et mea non alium, prono de corde voluntas
Principe dignatur trabea; ſublimibus Aris,
Adſtet vt Antiſtes, cæliq; negotia tractet.
Sic Tecum decerno libens ô FASCIA! ſic Te
Mille ſequor votis. ſic Te Dionyſia Sponſa
Deſponſare volo. Roſa ſit Tibi Sponſus, amorque,
Sitq; Tiarati capitis Tibi ſacra corona.
Sic ſtatui nutu Superûm, faſtiſq; cedrisq;
Inſcribo nomen dilectum. plaudite florum
Deliciæ, Chariteſq; Lechi. fuge bruma, rigorque,
Arctoaſq; niues penitùs ver dulce reſoluat;
Germinet vt flores roſeos lætiſſima tellus,
Diſpenſator honos, & cuſtos ſummus honorum,
Stemmate de roſeo, MAŁACHOVI Principis ore,
Pontificem quando cælesti Numine dixi.
Vix ea fatus erat. cùm ruptis nubibus imbres
Punicei, ſubita florum cecidêre procella;
Cùm Zephyri lenes ſpiracula dulcia, toto
Effudêre polo. fit jucundiſſima rerum
Momento facies. ſonat æther, ſidera plaudunt,
Os Charitum loquitur, Lechicus quoq; concinit Orbis,
Dulce STANISLAI SZEMBEK cum ſanguine nomen.
Ergò coronati flos nominis, ergò medulla — Publicus indè plauſus, & animorum lætitia.
Virtutum, probitatis amor, ſpeculiq; nitentis
Exemplo vitæ terſiſſima gratia Salue.
Hoc Tibi Diuinum, quod jam nunc cernitur in Te
Debebatur opus. poſt lilia Te ſibi gratam
Optauêre Roſam, Cracij faſtigia templi.
Ipſe Tuos, pulchro meritorum tramite ductos,
Veſtigabat honos paſſus; in culmine donec
Staret honorato, Tua Te digniſſima mitra.

Nam Tibi quàm Roſeus ſanguis, tàm purpura mentis
Tota Roſis vernans, & concors ſtirpis auitæ
Stemmatibus claris; quibus Orbis ſecula vidit
Priſca coronari, longinquo Sole calentes
Ornariq; plagas. Alemannica regna loquantur,
Quanta vetuſtatis Tibi gloria, ducta per æuum
Nexibus antiquis, & non conſumpta tot annis,
Ac tanta rerum ſerie. Tu CAROLE Cæſar
Magne, triumphorumq; Parens, Solijq; potentis
Auctor in Occidua trabea, quæ ſecula regni
Alta Tui numeras; eadem SZEMBECIA Tecum
Computat, & memores faſtos ſibi poſcit origo.
Saxo Tibi ſæuus, poſt ardua prælia victas
Quando manus dederat, magnis fractusq; triumphis
Ceſſerat in ſpolium; jam tùm victricia ſigna
SZEMBECII generis tulerat fortiſſima virtus.
Indè ſecuta Viros, præclari nominis ortu,
Fama per Imperij tractus, per geſta Gradiui,
Per tot adoratos Faſces in vertice Romæ,
Cæſareasq; Aquilas. donec flos aureus æui
Succeſſit, numeransq; ſuos longæua nepotes
Annorum ſeries, vidit ſub climate noſtro
Effulſiſſe decus roſeum; quo ſanguis amicus
Viſcera poſſedit Lechiæ, ſellasq; curules,
Venit & ad mitras capitis, gemmaſq; roſaſq;
Purpurei decoris. ſed per diſcrimina mille,
Perq; cruentatas acies, per Thracica colla,
Perq; triumphatam Rhodopen, Moſchoſq;, Getaſq;,
Hoc in ALEXANDRO meruit; qui totus in armis,
Vt ſemel induerat Martem, galeaſq; madentes
Sanguine, loricaſq; graues, non exuit Heros
Maximus; incubuit donec felicibus auſis,
Inuenitq; cadens pulchram per vulnera mortem,
Quæſitam varijs conflictibus; arma Polonis

Szembecianæ Domus ſplendor, & auita origo.

Alexander Szembek, in varijs expeditionibus bellicis, ſumma virtute celebris.

Dacica

Dacica ſeu MICHAEL ferret, dextraſq; rebelles
Inuicta victas acie; dùm claua IOANNIS
ZAMOSCI Marteḿq; regit, Dacaſq; triumphat.
Siue Sudermannum contra, Liuonica quando
Bella mouet, Suecoſq; ciet, violatq; nefaſtis
Fas, & jus gladijs; ſed non victricia ſigna
CAROLE CHODKIEWICZ Tua; dum Tu ſæpiùs inſtas
Victor, & vltores gladios in pectore figis
Non ſeruante fidem. Smolenſci grande theatrum
Succeſſit poſthæc; quo ſpectatiſſimus Orbi
Factus ALEXANDER, dum Moſchica prælia vincit,
Obſidioq; graui premit hoſtem, vulnera temnit,
Auguſtis oculis coram, flos ille, decorq;
Martis, in ardenti Patriæ cadit hoſtia buſto,
Fitq; corona ſibi roſeo de Stemmate nexa,
Purpura clara Domus, magnis potiorq; triumphis.
Ingentes animas, veſtigia tanta ſecutas,
SZEMBECIA Virtute pares, Orbiſq; theatro
Iam ſatis ex merito ſpectatas, ſedibus altis
Non moueo Vates. quoniam Tu proximus inſtas,
Tu cytharamq; moues, non vna laude canendus
Magne Parens FRANCISCE; cui Parnaſſia rupes,
Tota ſuos latices ſi conſecrâſſet; in vno
Nomine, Theſpiadum fontes, Cyrrhæq; fluenta,
Exhauſtis minui lymphis confeſſa fuiſſet.
Tu mihi flos, & gemma nites in ſanguine florum,
Par Atauis, Proauiſq; Tuis, Tu ſufficis vnus,
Celſior his, & ſumma tenens faſtigia ſtirpis,
Purpureæ munuſq; togæ. FRANCISCE ROSARVM
Ternio, ſed dulcis; ſed tot complexus amores,
Votaq; tot Patriæ; roſeis quot Pæſta coronis,
Pulchra renaſcentis cingit Floralia veris.
Excelſas animi dotes, cæleſtia dona,
Quæ Tibi dant pretium, quæ Te ſublimiùs vrgent,

Contra Michaelem Moldauum, Duce Ioanne Zamoſcio, ſtrenuè militat.

Sudermannũ Suecum, ſub Duce Carolo Chodkiewic in Liuonia victricibus armis perſequitur.

Sub Sigiſmũdo III. Rege Poloniæ, pugnans ad Smolenſcum glorioſè occumbit.

Franciſcus à Słupow Szembek, Caſtellanus Camenecenſis, NeoPræſulis Parens.

Summæ animi eius dotes.

C   Non

Non capit hæc testudo minor Te, victaq; iure
Succumbit; victæ genius nisi maximus ex Te,
Flamina restituat Phœbi, sacrosq; calores.
Consus eras semper, Delphos animiq; tenebas,
Iustitiæ zelo pro libertate locutus,
Absq; supercilij suspensa nube, Catonum
Diuinos sensus, legum custodia per Te
Excubias vigiles, & non perrupta dolosis
Claustra tulit manibus. vicisti fulmina, motus,
Nubila, conflictus animorum; grandoq; tota
Obicibus ruptis non profecisse dolebat;
Immota cum mente DEO, fisusq; probatæ
Virtuti stabas; procul Acroceraunia temnens,
Et si quid potuêre vices reflantibus actæ
Fluctibus Æolijs; Tu per luctantia secum
Æquora transuectus cecinisti dulce celeusma;
Iamq; Laertiades victor, ciuilia sæpè,
Transtra coronasti pariter dilectus, idemq;
Pondus habens meriti per tot subsellia cultus.
Quippè Tibi dulcedo fuit, Charitumq; voluptas,
Corda rapax, animosq; trahens, Te seria quàmuis
Mens ageret, rigidumq; licet deposceret alti
Iudicij tripodem. sic inter mascula rerum,
Officijq; Tui densata negotia, dulcis,
Comis, & ex facili veniens in pectora ductu,
Totus amor Ciuilis eras; dum Cracidos in Te
Notarius primum Terrestris Palatinatus Cracouiensis.
Terrarum calamo felix, & primus honorum
Auspex, iustus honos genio pro vindice legum,
Ex voto Patriæ descendit, & aurea pandens
Ostia virtuti, præcelsa senacula tandem
Augurio seruata Tibi prædixit amico.
Indè Tibi fasti meritorum, totq; deinceps
Successus creuêre Tui; dum publica fandi
Libertas concessa Tibi; cùm dexter agendo

Inuen-

Iuuentus, factisq; potens, in cardine regni
Os dictis, animumq; parem pro munere ferres
Nuntius hùc toties, vbi rerum summa potestas,
Consilijq; penu. cùm Te iam Regia dignum
Altiùs euectis trabeis, censura probâsset;
Quod testata fuit Tibi Præfectura Becensis
Augusto nutu, collataq; Numine dextro;
Adderet vt stimulos animo, fieretq; curulis
Sarmaticæ præsaga; breui quam protulit ortus,
Verè purpurei decoris lætissimus ille;
Quo jubar in Regni facie, Lechiciq; Senatus,
Decretusq; Tuæ Virtuti, lucis in auge
Expectabat honos Te, post ingentia facta;
Post impensa bono Patriæ, rebusq, gerendis
Fida tot obsequij felicis munera, postq;
Insessum toties Regni sublime Tribunal,
Iuraq; post Themidis zelo defensa calenti,
Pro legum stabili fulcro, pro moris auiti
Integritate, fide, dictamine juris, & æqui.
Ergò SANOCENSIS jam CASTELLANVS vt esses,
Vrgebat virtus, probitas, sapientia, candor,
Iustaq; vis meriti, plausûs communis, amorque;
Nataleiq; ROSÆ poscebant, ocyùs vt Te
SZEMBECIIS consors vestiret purpura ceris;
Aucta dein Regis summa virtute IOANNIS,
Ac sensu de Te eximio, qui Principe dextra
Fulmen in hostiles vt Victor maximus oras
Torquet, & ex Getica rabie, spolijsq; triumphat;
Sic oculo mentis Regum pupilla, capaces
Discernens animos; sic dispensator honorum
Eligit ad Patriæ trabeas lectissima corda;
Omnibus vt constet censuræ Principis ingens
Glo ria, Diuinusq; tripos, sapiensq; potestas.
Censuit hæc, voluitq; Tuam sublimiùs ire,

Nuntij ex Equestri Ordine, ad Generalia Regni Comitia, sæpiùs munere functus.

Præfectura Becensi, iam honorificè ornatus.

Ad Iudicia Regni Tribunalitia toties magni nominis Deputatus.

Castellanatu Sanocensis ei dignitas confertur.

A Serenissimo Rege Ioanne III. ad Castellanatu Camenecensis sublimiorem in Senatu gradum prouehitur.

Emeriti decoris feriem, fecitq; curulem,
Ad Camenecenfem rofeo Te tramite ferri;
Qui verè Rofeus natiuo flore Senator,
Ipfe coronâfti fedem, quâ prominet Orbi,
Iam Tua Sarmatico virtus in murice fulgens.
Nempè boni Superi, fic in Te prodiga dona
Effudêre; prout gemmarum grandine tota,
Tu quoq; cæleftes in cultus depluis, illa
Affectus pietate Tui; quæ vifcera pandit

Templi ad S. Cafimirum Cracouiæ munificus Fundator.

Tota DEO, gaudetq; opibus, quas fpargit in vfus
Seraphicos; rofeis CASIMIRI filia cafta
Nunc manibus plantans, nunc Magnæ Virginis hortos,
Et virides Aras, Zielenicenfesque coronas;

Templum quoq; in Zielenice, ad miraculofam D. Virginis Imaginem, piis fumptibus erigit.

In quibus æternus viror, & celfiffima Matris
Gloria Diuinæ per tot miracula vernat;
Teq; coronauit felici prole beatum;
Ex qua Præfuleus fibi, cælo judice primam
Ecce Rofam delegit honos; cordiq; paterno
Sufficit in facra Natum vidiffe Tiara.
Materni generis fed jam me fplendor auitus

Illuftriff. NeoPræfulis, Materni generis Splendor.

Inuitat, plectrumq; ciet, Phœbiq; canorum
Pofcit ebur; quod tango libens, quod dedico magnis
Nominibus, tantæq; fequor veftigia laudis.
Scilicet ex rofeis hortis, in facra vireta,
Hîc vbi flos Hyacinthus adeft, de ftirpe vetufta,
Quando feror; plaudente feror, votoq;, lyraque.

Sophia Odrowafia, Illuftriff: Ioannis Odroważ Piniażek, Palatini Siradienfis, germana Soror, Illuftriſ. NeoPræfulis Mater.

Hùc me cum fidibus trahis ODROWASIA Mater,
Sanguine magna Tuo, major Virtute SOPHIA,
Digna tot ex atauis decus immortale tuliffe,
Dignior ex meritis; fueris cùm norma pudoris,
Exemplar pietatis, amor verique, probique;
Sicq; Parens fecunda, DEO quod cefferit ex Te
Ternio Natorum pulcherrimus, ipfa Rofarum
Gratia, præcellenfq; Tui dilectio cordis;

Cùi

Cui ſpeculum fueras virtutis, & aurea vitæ
Regula, formatrix animi, morumq; Magiſtra,
Inſigni Virtute Tua. cæleſtibus illam
Intuleris ſed jam cùm ſedibus. ecce triumphat
Tota, rapitq; oculos Lechiæ, calamosq; fatigat;
Tota Palatinis trabeis in Fratre IOANNE,
Siradiæ terris, patrio ſuper axe coruſcat.
Ille genus ſummis titulis, & honoribus auctum
Antiqua de ſtirpe Virûm, de ſanguine ducit
Auguſtis juncto Solijs, vicinaq; tangens
Regna per Occiduos faſces, cæloque propinquans,
Eſt conſanguineus Superis in flore beato,
Flore Marianis Hyacintho dulcibus olim
Delicijs digno; Stirps ODROWĄSIA per quem
Si cælos tetigit? quidni faſtigia rerum
In terris habeat? quidni per ſecula magni
Sanguinis, & virtutis opus memorabile ſignet?
Qui celeres Parthi numerat, Scythiæq; ſagittas;
Apta pharetratis jaculis, qui tela Gradiui
Colligit; in tota vel Perſide computat arcus;
Hic ODROWĄZIÆ victricia tela Sagittæ
In tabulas referat; quibus hic non ſufficit Orbis,
Dura per æternas hyemes, quem congelat Arctos;
Cultior Europæ niſi pars, ſub Cæſare magno
His quoq; ceſſiſſet. ſed nec cultiſſima fandi,
Vis eſt vlla Viris, nec Vatibus vlla poteſtas,
Sanguine de tanto paribus certare cothurnis.
Muſa Palatinum, ſatis eſt ſi noſtra loquatur,
Siradiæq; decus ſub tanti nominis vmbra,
Orbe Virum ſummum toties ſpectante reuelet.
Ille triumphatas acies, & Gotthica ſigna,
Et Moſchi faſtus nimios, turbæq; rebellis
Coſacicæ fœdam rabiem, Pontiq; moloſſos,
Pannonicoſq; auſus, præfractaq; colla Rakoci,

Ioannis Odrowąż Pieniazek, Palatini Siradienſis decora, & encomia.

D Mar-

Martis in orcheſtra domuit, grandiq; trophæo
Pyramidum ſuper omne decus, culmenque locauit.
Dulcè recordari, Patriæ cum ſtator, & armis
Sanguineis vindex, rabidas ſeu fortè Leonis
Vandalici fauces, ſeu Finnica monſtra, potenti
Dilacerat dextra, quàmuis in ſanguine merſus
Non cedit, figitq; pedem; mox vulnus in illo
Ceu gemmæ reputat pretium, carumque monile;
Firmiùs hinc columen factus, renuenſq; moueri,
Cauſa DEI quoties poſcit, fideique, thronique,
Et libertatis quoties res publica nutat,
Neſcius in partes flecti; ſed pectus ahenum
Oppoſuiſſe malis vicibus, validæque procellæ,
Cenſet id Heroæ mentis, conamine dignum,
Bellipotens pariter, pariter zelator, & ingens
Hæreticos contra tonitru; cane peiùs, & angue,
Exoſus Stygias fidei, furiasque minaces;
Conſilio validus, conſtans, immotus ad omnes
Labentis Patriæ caſus; Iurisque Tribunal
Marſchalci toties cum munere fungitur, inter
Ardua juſtitiæ ſubſellia Præſes, & Argus
Impauida virtute regens. cultiſſimus idem
Neſtor in eloquio, Cyneæ Supparque diſerto;
Digna Senatorum facie, cûi purpura Suadæ
Majeſtate pari dedit impleuiſſe curules
In ſummo poſitas; & quidquid dixerit ore,
Hoc praxi rerum ſolida, factiſque probâſſe.
Indidit hunc genium, qui dum ſapit, omnia dulci
Ex virtute ſapit, Màjorum præter auitas
Ex ODROWASIIS ceras, WIELOPOLSCIA magnæ
Vis etiam ſtirpis. nam ſanguine junxerat illum,
Illa Palatino Cracidos vicina IOANNI
Materni generis ſeries; quâ proximus, & quâ
Vt cordi dilectus erat, ſic nexibus altis

Ex Matre, Sorore amitina, olim Ioannis Wielopolſki, Palatini Cracouienſis, conſangnineus in eo Wielopolſciis nexus.

In

In WIELOPOLSCIADÛM clariſſima fœdera venit,
Ipſe ſuis plenus titulis, meritiſq; decorus,
Orbis in exemplum Lechici pariterque futurus.
Hic jam poſt cantata mihi decora alta Parentûm,
Plauſibus Aonijs intentam vellicat aurem,
Fraternus ſanguis NeoPræſulis; ille viretis
Ternio SZEMBECIIS dignus; de quo mihi Vati
Tu Roſa prima venis, Phœbi dulcore canenda,
Nominis, & Virtutis amor, ſpeculumq; paternæ,
Excelſiq; capax animi PRÆCLAE, Becenſis
Quem Præfecturæ merito jam flore coronat
Pulcher honos, majorq; vocat. Tu Palladis olim
Vna Charis fueras, Latij Tu gratia culti;
Flos teneræ menſis, ſed jam maturus in ipſo
Flore juuentutis; ſed jam prænuntius alti,
Ac index decoris; quod mox ſucceſſerat inter
Eximias dotes, præclaraq; munera ductum,
Vſq; ad delicias Patriæ. nam fœdere miro
Iunxiſti Martemque togæ, bellique rigores
Dulcibus illecebris pacis; pariterque capeſſis
Cum palmis oleas, cum lauru florida nectis
Munera de cultu roſeo; ſic Conſus, vt idem
Sis etiam bellax gemina virtute Gradiuus.
Auguſtis oculis, hoc in Te Regia virtus,
Et probat, & ſpectat. qui vicit ſecula geſtis
Vna Monarcharum, ſed gloria tota IOANNES,
Bellator, Patriæque Pater, majorque triumphis
Ipſe ſuis; ſub quo ſiluit gemebunda Propontis,
Martius ille Tibi Cenſor; ſub Iudice tanto
Sufficit in medias acies, & vulnera ferri,
Maſcula virtutis dare ſymbola, ferre coronas,
Noſſeq; Scipiadam Lechiæ; ſed nôſſe cruentis
Cædibus, ex Thracum tumida ceruice madentem.
Hunc ſequeris, ſeu ille Scytham per Dacica fundit

Præclaus Stephanus à Słupow Szembek, Capitaneus Becenſis germanus NeoPræſulis Frater.

Sereniſſimi Ioannis III. expeditionū bellicarum indiuiduus comes.

Æquo-

Æquora camporum; ſeu per latiſſima terræ
Climata Roxolanæ cædit. ſeu jungitur ille
Turcarum ſceleri, cuneisque fugacibus inſtat,
Et ruit, vt fugiat, fugit vt ſe Marte pudendo
Subducat Lechiæ gladijs. teſtatur ad Iſtrum,
Exutus caſtris Oriens, plauſusq; Viennæ,
Inque Tyræ, Patrijs merſus Geta ſæpè fluentis;
Cameneci latebris, dum Rex fortiſſimus vrget,
Cedat vt Odryſius prædo, ſaxisque retundat
Heu infame caput! Tu per ſæuiſſima rerum,
Ponè latus Magni dum bellatoris anhelas,
Irruis in Geticos enſes, in vulnera pectus,
In mortemque offers, ſitiens per cædua buſta,
Ire cruentatis ad nomina clara trophæis,
Deq; roſis ſpinas decerpere. ſcilicet Heros
Stemmate de Roseo veniens, flos ille Virorum;
Cûi Bellona velut laurus donauit amicas;
Sic toga pacatis ex artibus, omnia nectit
Ad Comitia Regni Nuntius. Florida, vernanti circumdans tempora ſerto;
Seu loqueris culto Terrarum Nuntius ore,
Conſilioq; graui Patriæ ſuccurris amanti;
Ad Tribunalitia Regni Iudicia Deputatus. Seu Iudex Themidis profers reſponſa Polonæ,
Vndiq; par animo, majoribus vndique curis
Lætior, aſſurgens meritis, & calle paterno
Altiùs ex voto ſummæ virtutis iturus.
Aſt ſibi Te cælum, ſacro de murice lectam
Eſſe Rosam voluit MICHAEL; cui Cracidos altæ
Michael à Słupow Szembek, Canonicus Cracouieſis, & Premyslienſis, alter NeoPrçſulis Frater. Regia Diuorum patuit; quem terna coronæ
Vaueleæ clarum cingunt diademata myſtam;
Hîc vbi Te virtus poſuit, pietasq; vocauit,
Et præſtans animi cultus; qui Pallade docta
Enituit, geniumq; Tibi formauit amicum
Mentibus electis; quibus eſt ſapientia dulcis,
Et dilecta Tibi, niueis cum dotibus, & cum

Sua-

Suauibus officiis, dulcoreq; mentis ad omnes;
Quod Premysliaci sentit quoq; gratia cœtus;
In quo flos roseus, pretio virtutis haberis;
Cùm vernas probitate Tua, curâq; sacrorum,
Dùm Te consecras totum cælestibus Aris:
Ad quas felici venit quoq; sorte vocatus,
Æternis stimulis ANTONIVS intima pandens

Antonius à Słupow Szembek, Scholasticus Camenecensis, tertius NeoPræsulis Frater.

Viscera; fraternis dum pasibus instat, auetq;
Ire poli quò Flamen agit, quò vita, salusq;
Inuitat pulsante DEO. sic Nobile pectus,
Eximiasq; animi dotes, ad munia cæli
Conuertit; quem pulchra tenens vestigia laudis,
Iam sacer ambit honos, iam celsiùs ire capaci
Destinat ingenio, Roseas nectitq; coronas
Dilecto capiti; quod Fascia Principe nexu,
Et consanguinei circumdabit Orbe fauoris.
Seraphicas mentes, & pectora casta Sororum,
Ereptas terris animas, cæloq; dicatas
SZEMBECIA de Stirpe Rosas, non addo, pudicis
Quas seruat pietas claustris. de talibus haud fas
Est, humana loqui. cælestia sola loquantur,
De rebusq; suis alio spiramine cantent,
Conscia quas nôrunt. si Sponsa Rosalia Christi
Est Rosa; verùm alia est, Carmeli vertice tangens
Angelicos flores. si terram spernit & odit,
Teresæ Diuinus amor; Salesivs illi
Cælestes hymnos, & dulcia carmina psallat.
Tu mihi iam NeoPræsul ades, Tu barbita claudis,

Rosalia Szembecia Ordinis Seraphicæ Matris D. Teresæ Sanctimonialis, Neo Præsulis Soror.

Teresa Szembecia, ex Sanctimonialibus à Visitatione, NeoPræsulis altera Soror.

Quæ Te non claudunt, plectro maiore canendum.
Sanguinis omne decus Tu consignabis auiti,
Iamq; coronatus gemmis, sacrâq; Tiarâ,
Ipse corona Tibi fies, laudumq; coronis.

E CORO-

CORONAMENTUM
VIRTVTIS, ET GLORIÆ,
Illustriss. NEOPRÆSVLIS LAVDIBVS, PANEGIRICE NEXUM.

Hùc tandem
Purpuratis sanè ad Pontificale coronamẽtũ passibus;
quia per ROSAS SZEMBECIANAS venimus.
Seculorum iste tractus,
quo per tot gentilitia decora ire licuit,
non Dædali Labyrinthus, sed fuerat Hybla,
tot gratiæ Rosetis, quot Majoribus coronata.
Topiarius in ea,
qui plantauit, rigauit, & incrementum dedit,
ipse coronarum dispensator, & supremus arbiter
D E V S;
Paradisum hîc voluptatis plantauit,
Innocentiæ nimirùm & virtutis,
ROSIS SZEMBECIANIS benedicens;
vt fierent in Ecclesia DEI,
sicut plantatio Rosæ in Iericho.
Omnia hîc à tot seculis, vel ideò benedicta fuêre;
vt vnus hoc seculo NeoPræsul prodires;
qui *venis in Nomine Domini* ad Tiaram
benedictus,
quoniam CONSECRATVS.
Vnguentum hoc in odorem suauitatis,
super caput Tuum,
non lenticulâ, sed toto Vase electionis,
plenè effusum est;
diù collectum, vt abundantiùs descenderet,
super Te Aaron;
qui Tibi non sumpsisti honorem;
sed à DEO vocatus, citra spem inuenisti.
meruisse poteras, sed ambiuisse perosus,
etiam merita occultasses;

nisi

nisi ex arcano suo producta, manus Tibi,
sed per manus, & vincula Fasciæ,
iniecissent.
Pulcherrimum virtuti sic quæri, sic vestigari;
vt vestigia eius soli DEO constent;
cuius incomprehensibilia iudicia, & inuestigabiles viæ sunt.
Tibi certè
conscientia meritorum suffecerat;
sed non Tibi soli egeras;
quod à teneris egisti;
genio felici, & indole summa.
Pallas illam Iagellonica,
Regiè sane, quia liberè excoluit,
spontè cultum literatum poscentem;
quem vt tenerè dilexeris,
mens apprimè erudita, & cor sapiens testatur.
Hîc os Tibi roseum,
non Adonidis, sed eloquentis floralia Suadæ,
vt coronauerunt olim in Rostris;
ita nunc in Sacris exedris, Sanctiori
dum exornant Hymetto;
quidni ex eo in corda hominum, & affectus,
puniceos iaculeris imbres?
non vt mulceas; sed vt allicias eò;
vbi id dicitur, & agitur,
vt electi securè dicant,
Christi odor bonus sumus.
ita dulcem animi suaueolentiam, secuta oris fragrantia,
non degenerauit à corde, ex cuius abundantia os loquitur,
ipsis certè Gratijs insessum,
quæ etiamsi nolueris, lubentiùs erumpunt,
quàm tenentur;
abysso id
DEO gratiarum agente,
vt gratia & Rosa mentium sis,
non tamen sub rosa.
Reuelauerat eam Orbi Polono,
& inter purpuras Regum non erubuisse fecerat,

 flos

flos ipſe Regum, ſed mox deciduus,
& in expectati gaudij breue delicium,
Sereniſſimus olim MICHAEL
Rex Poloniæ;
cuius Tibi non minùs Regium conclaue,
quàm cor auguſtum patuit;
præcipua Tui inter Aulicos Cubicularios æſtimatione;
cùm ex ſpinis Aulæ, legeres Roſas,
ſeculi, & Aulæ vitio incorruptas.
inter errores illos pluſquam Dædaleos,
Ariadnæ filo non indigens,
quàm hùc innocens Theſeus intraueras;
tàm exijſti puritate conſcientiæ à Minotauris ſecurus;
ceu non inter Curialium lenocinia, & apertas lubentijs portas,
florem ætatis poſuiſſes, ſed concluſo in Horto.
Pompa illa, & ſeculi triumphus,
Tibi Pantheon, & Sanctuarium,
etiam inter palatia, arcanum fuit, & receſſus;
cùm in medijs quoq; profanæ magnificentiæ ſplendoribus,
iam animo Sacer eſſes,
& inter Tarquinios Numa.
Vbi curarum inanium maximus feruor,
alia Tibi mens, alia cogitatio, breui oſtendit;
quàm longè diſtares ab illo æſtu; qui ceteros aduſſit,
& quàm fueris Sol in vmbra.
Ab hoc Solio, & Sole maieſtatis;
qui Te non decolorauit;
quia in Diaphanam bonæ mentis cryſtallum egit;
hoc in Te Regium, hoc auguſtum;
quòd inter Aulæ obſequia, poſt experimenta Regalis gratiæ,
ad Regis Regum negotia profeceris:
quæ dum animo voluis, & ſanctiori propoſito firmas;
ad Sancta Sanctorum ſuſpirans,
Vrbem Sacrorum, & Orbis Principem,
Romam nimirùm adijſti.
Hîc Tibi Spiritualis guſtus, & anima vitæ;
rerum Diuinarum hîc in fonte voluptas.
Super omnia Capitolia, & Coloſſos,
& quie-

& quicquid Roma inter admiranda ſua computat;
nihil Tibi magnificentiùs, nihil cariùs;
quàm Auguſtale illud ſanctitatis;
quod Petri claues aperiunt, & Annulus Piſcatoris conſignat.
Hoc Auguſtale patuit Tibi,
vſq; ad Apoſtolicæ Sedis,
& purpurati Cardinalium Eccleſiæ Senatus gratias;
quæ dilexerunt in Te concolorem ſibi purpuram,
& Sanguinis, & mentis.
Inter hæc oracula, an miracula Orbis;
quæ aliquando in Patria, velut ex aureo tripode proferres,
Iuris oracula didiciſti.
Dilectum hoc Tibi ſtudium impenſiùs;
quia zelabas pro iuſtitia, & amabas tenerè id;
cuius à Teipſo primam rigidè exegeras,
& regulam, & amuſſim.
Supremum illud in faſtigio Eccleſiæ Tribunal,
diſponebat Te ad hoc Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ faſtigium;
in quo faſces iuſtitiæ tenes,
& pro FASCIA vices:
oſtendiſq;, quàm illud ſolidum fuerit; quod Romæ ſedulus egiſti;
ab inuicto Canonum ſtudio, mente robuſta non diſcedens;
donec Te Romana laurea,
Iuris Vtriuſq; coronaret Doctorem.
Præcellentium animorum corona hæc,
cui nequaquam adſcripſeris, tollat te, qui te non nouit;
ſed qui te nouit, hic tollat;
decorum caput tuum ambiens, fecit;
vt ab Orbis triumphatrice Romana Pallade, in Patriam non redires
abſq; plauſu, & triumpho;
& quidem Sapientiæ;
quæ non applaudit ad oculum, ſed ex merito;
diuq, deliberat, cui Roſcio Plaudite dicat.
Aduentum tuum ſelectiſſimæ in Regno animæ,
ex animi voto cùm expectarent,
celeri fama, celeriores gratiæ, non poterant non præueniſſe;
cùm antè corda poſſederis, quàm veniſſes in brachia;
prima Tibi niueos expandente ſinus,

 Illuſtriſſi-

Illuſtriſſima FASCIA SBASCIANA;
quæ dignos amari vt intelligit, ſic deligit; vt excipiat,
animorum non niſi vel Roſas, vel gemmas.
Vinciri eius vinculo, prima Tibi felicitas;
ſed & prima, in vinculis amantium libertas;
arcanumq; fuit, ab hac manu initiari ad honores;
quæ Faſces Regum tetigit;
quidni in Te Regale quoq; Sacerdotium,
Canonicatu inprimis Premyſlienſi exornaſſet?
Superis iam diſponentibus;
vt quod Faſcia cœperat, Faſcia conſummarett.
Meruerat certè;
Faſciæ huius effuſa in Te gratia,
inuidiam quidem, ſed innocentem;
quia apud candidum innocentiæ Symbolum,
Olorem nimirùm TRZEBICIANVM;
cui placuerant illæ animi Tui dotes,
quarum æſtimatio ibi maxima,
vbi virtutum ſympathia maior.
Præſul ille;
totus animo Cygnus, & pro Eccleſia zelator,
purum illud, & illime, cordis tui penetrauerat ſecretum;
in quo, etiamſi maximè tegeres,
tranſlucebas Tuipſe,
integritate animi Cygneus, comitate ſuauis;
non tamen abſq; iuſto pro Eccleſia zelo;
quo qui non flagrant, Cygni quidem plumis,
ſed non Phænices ſunt;
qui plumas habent, non vt placeant;
ſed vt illis, zelatorem pro Deo, & Eccleſia vegetent ignem.
Frigida nix, candicat quidem;
ſed ſpiritu caret, & ad Solem liqueſcit.
Quippè in Prælatis Eccleſiæ,
frigida intus non ſufficit innocentia;
niſi ſit & foris, zeloſus contra hæreticos,
& pſeudopolitiem candor.
Magnus hic in ANDREA TRZEBICIO,
& diſſimulari neſcius,

perculit

perculit ſpiritu Eccleſiaſtico, non vnum in fronte
Gigantem Philiſtæum,
reſtititq; cum Helia Prophetis Baal,
etiam ſolus quadringentis,
nihil minùs curans, quàm diſplicere malis;
cùm placentia in faciem, amicè quidem loquebantur;
ſed Deo, & Eccleſiæ inimici.
Hinc illi
Spiritus Eccleſiaſtici in Prælatis Eccleſiæ,
facilis intelligentia, & tenerrimus amor;
cùm diligeret, & promoueret in eis; quod ipſe fuerat:
prout & in Te NeoPræſul,
magnitudinem animi, ſpiritu Eccleſiaſtico plenam,
vt aduertit, vt adamauit;
absq; corona non dimiſit;
donec eam in Te,
honorifica tui inter Cathedrales Canonicos Cracou: cooptatione,
in Vauelano faſtigio ſublimaret.
Si nihil aliud gloriæ Tuæ accederet,
præter id;
quòd à tanto æſtimari merueris;
ſatis fuerat ad magni nominis pondus;
cùm Tu quoq; reſpondiſſes pari virtute,
æſtimantis iudicio;
quòd gaudebat, Stateram in Te ſuam non erraſſe;
cùm id etiam, quod æſtimabat exceſſiſſes;
illo vitæ exemplo, illa compoſiti animi ſymmetria,
illo rerum Diuinarum amore;
qui in Te omnem ſeculi amorem extinxit,
& ita Te totum, ad animæ negotia tranſtulit;
ceu nihil ſenſibus deberes.
Suadam quoq; Eccleſiaſticam,
animo innocenti non diſparem, ſecuta gratia,
eò ſpontè inclinatis audientium animis;
quò ducebas verbis inuitans, opere perſuadens;
tam ſine ambitu, tàm ſine ſpiritu affectato;
quàm ſi ipſa modeſtia peroràſſet.
Aurea quippè lingua non efficit,

 nisi

nisi cum aurea vita Chrysologos;
plusq; valet nummus, qui ex Obryzo cusus vix sonat;
quàm qui ære quantumuis Corynthiaco tinnit.
Magisterio virtutis, qui in alijs proficere desiderat;
primam eius à seipso exigat disciplinam;
crysim enim de vitijs, vitia non ferunt;
sed Virtutes;
quibus qui loquitur, tùm demùm oracula dicit.
perorâsti his NeoPræsul,
& iam satis fuerat persuasisse,
non minùs oraculo vitæ, quàm eloquentiæ;
vt dictis, & factis Ecclesiastes;
ita in Tribunalitijs Regni Iudicijs,
ex præscripto iustitiæ, & de Teipso norma,
ipse Areopagus, ipse Themis.
Agnouit Te Deputatum Iudicem,
tripos ille aureus quidem;
sed nec prece, nec auri pretio corruptus;
pectore imperuio Fauonijs;
qui animorum rimas solicitè quærunt;
vt dulci respectu illabantur.
Maluisti proin,
seuerior censeri, & leniri nescius;
quàm iustum, & tenacem propositi Virum exuere;
vbi si vel tantillùm à recto discesseris,
ingens justitiæ hiatus est.
Hac animi integritate securus,
non impegisti ad scopulos, quorum ibi Scyllæ frequentes,
sed rari Vlysses;
in omni deinceps vita, coronamento virtutis & gloriæ dignus;
qualem Te
Celsissimi Præsulis, ac Principis,
IOANNIS MAŁACHOWSKI,
EPISCOPI CRACOVIEN: DUCIS SEVERIÆ,
consanguinea Tibi inuenit FASCIA;
vt ampliùs coronaret.
Nexus quidem sanguinis, vim natiuam habuit;
quâ Te cordi eius vinciret;

sed nexus

ſed nexus virtutis potentior,
plùs egit, vt arctiùs vincireris;
quoniam obligatio virtutis, etiam Superos ligat.
Cor ergò Principis, vinculum Tuum,
explicato gratiæ ſinu, ita in Te beneficum eſſe voluit;
vt ab officio inciperet,
magnæ virtuti, majus theatrum prouidendo;
in quo menſuram Tui,
Archiadiaconatus Zauichoſtenſis,
Viſitationibus Cleri in eo, toties per Te, & tanta cura geminatis,
tantoq; Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſucceſſu oſtendit;
quantæ capacitatis, animus hic, jam tum fuerit;
qui cæleſti arcano diſponebatur;
vt deinceps ex condigno adimpleret,
Ordinis, & Iurisdictionis,
Præſuleas in tàm vaſta Diœceſi vices.
Ita factum eſt,
Sapientiſſimo Præſule, ac Principe,
de Te, ſine Te,
quia ſine ambitu vllo,
honorifica omnia cogitante;
vt poſt NICOLAUM OBORSCIUM,
cælo receptum;
in cuius funere lilia dixiſti,
in eius munere ſuccederes,
ROSA,
jam ante rebus Diuinis Sacra;
ſed nunc etiam ritu ſolenni Conſecrationis,
in Præſuleo capite Tiarata.
Quis ergò dubitabit, Caput hoc Tiaratum,
Auguſtum fore, & Benedictum?
Cui Auguſtiſſima omnium in terris Majeſtas,
nimirùm ALEXANDER VIII.
Pontifex Maximus,
Bonis vtiq; auſpicijs; quia Paterna bonitate OTTOBONIA
benedixit:

G quam

quam

Serenissimi & Inuictissimi

IOANNIS III.

Triumphalia nomina, & victrices laurus coronant:

Celsissimorum verò, & Reverendissimorum Antistitum,

IOANNIS MAŁACHOWSKI Cracou:

IOANNIS SBASKI Varmiensis,

geminæ Principes vinciunt Fasciæ;

ANDREÆ ZAŁVSKI Kijouiensis,

Agnus qui pascitur inter lilia,

ad Roseta & Lilieta immortalis gloriæ ducit:

cui deniq;

vt festiua, & diuturna lætitia sit,

ipsa solennem Ecclesia occinit triumphum;

cùm dulce occinit Lætare;

dumq; hodie in Basilica Cathedrali Cracouiensi,

quod cum ROSIS SZEMBECIANIS,

florida NEOPRÆSULI secula nectat,

ritu solenni

Lilium circumfert

BENEDICTUM.